DE
DIVINATIONIBUS
IN CIVITATE
PROHIBITIS

INCLYTI ORDINIS PHILOSOPHICI
CONSENSU
DISPUTAT

PRÆSIDES

M. GOTTFRIED POLYCARPO MÜLLERO,

EL. ET POES. P. P. EXTRAORD.

AUTOR ET RESPONDENS

JO. HIERONYMUS DATHE,

PHIL. BACCAL.

D. XXII. NOV. AN. MDCCXXI.

LIPSIÆ,
LITERIS IMMANUELIS TITII.

MAY 21 1923

DE DIVINATIONIBUS IN CIVITATE PROHIBITIS DISSERTATIO.

PRÆFATIO.

Vana eſt plurimorum etiam noſtra ætate opinio, jam usque ab ultimis gentilium temporibus ducta, felices fore, imo feliciſſimos, homines, ſi fata, quæ dicunt, ſua præſenſione quadam, aut divinatione, cognoſcere ſingulis liceret. Proſpici adverſis poſſe, quæ antequam eveniant patent, & ſecundis frui melius licere, quibus quis ſe præparat, una multorum vox eſt. Magnifica ſane hæc videntur, ſed videntur tantum. Qui enim animum humanum, inter ſpem & metum ſemper anxium, & eam, qua plurimi non ducuntur, ſed ruunt, affectuum impotentiam in genere humano attentius contemplantur, ignorantia futurorum nil ei judicant ſalubrius. Sane quod omnes divinandi viæ, quas homo ſibi relictus, & divinæ revelationis expers, ingredi unquam poteſt, tam perplexæ, tam

lubricæ, tam tortuosæ, tam plenæ periculo deprehendantur, clarum divinæ providentiæ signum nobis qnidem videtur, quod hominibus plena futurorum lux in hac animorum perversitate conducere non possit. Non male HORATIUS *Lib. III. Od. XXIX.*

Prudens futuri temporis exitum
Caliginosa nocte premit Deus.

Ne ergo viam gentilium, qui sine Deo sua se propria divinationum luce ad aliquam vitæ felicitatem ducere anxie laborabant, christiani etiam homines eligerent; rerumpublicarum christianarum leges sæpe prospexerunt. Nos jam limites, ad quas species divinationum & quousque hæc prohibitio jure civitatis naturali progredi possit, philosophica dissertatione examinabimus; cui ut divina adspiret, per quam solam vivimus, providentia, supplices precamur!

CAPUT I.
DE DIVINATIONE ET EJUS SPECIEBUS.

§. I.

Denominatio divinationis & divinatorum.

PRiusquam itaque divinationes in civitate prohibitas sistamus, nostrum omnino est, de Divinatione ipsa, & ejus speciebus, aliquid præcipere, ut ex ejus natura & diversitate prohibitiones in civitate clarius & meliori ordine sistere queamus. Quod ad vocem divinationis attinet, varias ea jam olim apud veteres admisit significationes; cum apud Romanos quoque *Judicia, quibus duo pluresve, qui se præponi in accusando volebant, de accusatione sibi deferenda contendunt, divina-*

vinationes fuerint appellata. Usi sumus verbis HOFFMANNI *in Prolegom. ad Ciceronis divinationem in Qu. Cæcilium:* quæ QUINTILIANUS *Libr. VIII. p. 432. edit. Burmanni*, probe confirmat. Apud Jure Consultos, priscos vel maxime, divinatores etiam Chaldæi, Sortilegi, Sortiarii, & Mathematici dicuntur. Licet enim Mathematicis, proprie sic dictis, cum divinationibus nullum sit negotium; *antiquis tamen temporibus eo vanitatis procedebant nonnulli, ut fallacissimi inter eos reperti fuerint impostores, qui sub specioso quodam eoque vanissimo supputationum arithmeticarum, figurarum geometricarum, & circulorum astronomicorum strepitu, ipsis illis calculis, figuris & circulis mathematicis, una cum nomine professionis honorifico, turpiter abusi, odiosam artem, ut Plato refert, alio nomine facilitarint; atque ita sub ipsa solis & reliquorum astrorum fulgentissima luce, nil nisi densissimas incertitudinis, vanitatis ac superstitionis, tenebras absconderint.* Ita loquitur Magnif. JUNIUS noster in *Progr. ad Orat. in memoriam B. Geyeri p. 20.* quibus observatis mirandum non est, quod malefici & mathematici in Codice Theodosiano sub uno comprehendantur titulo. Ea, quæ ad divinationem, ex antiquis cognoscendam, facere possunt, sollicite & ordine congessit celeberrimus JOH. JAC. SYRBIUS *Instit. Philosoph. primæ, p. 459. sq. seu Metaphysicæ C. IV. & V.*

§. II.

Diversus divinationis significatus.

Vox divinatio sæpe notat conjecturam quamcunque de rebus abstrusis: sed usu solenni prædictionem, aut revelationem quamcunque, rerum futurarum occultarum significat, ita ut hoc sensu revelationes & prophetiæ omnes divinationes dicantur. Tam varia gaudet significatione, quam

græca vox μαντέια, quippe quæ de prædictione futurorum per deos vel maxime a gentilibus capiebatur. v. JAMBLICHUS *de Mysteriis Sect. III. c. 1.* ut & de prædictione humana arte collecta vel elicita *ib. c. 15. & 16. seqq.* unde *Cicero* divinationem, Græce μαντικὴν, præsensionem, & scientiam rerum futurarum reddit *Lib. I. de divinatione sub init.* ubi vocem divinationis a divis, Græcam vero a furore ductam esse, simul monuit. Hinc est, quod divinationem in naturalem, quæ raptu animi & divino quodam afflatu constaret, & artificialem, in observatione diuturna & conjecturis consistentem, diviserit, & utrumque una divinationis voce exprimi posse statuerit *ib. n. XI. conf. ejusd. Epistol. ad Famil. L. VI. Ep. VI.* Imo si usum vocis accuratius adhuc perpendimus, non tantum ad futura, circa quæ tamen ei maximum est negotium, sed etiam ad præterita, quatenus hominibus occulta sunt, cognoscenda, sæpe refertur. Præteritorum enim quoque dantur signa, ex quibus divinari, cum occulta alias sint, vel possint, vel soleant. Hac enim ratione thesauros, vel longo tempore defossos, facta & consilia hominum, divinatione deprehendere volunt. Quis virgulam divinatoriam aut mercurialem nostra ætate ignorat? multæ enim metallicæ venæ in occulto adhuc laterent, nisi virga ista inventrix tot bonorum, illas nobis manifestasset. Sic chiromantistæ, physiognomi, & similes, non futura tantum, sed & præterita, divinatione sua consequi prætendunt.

§. III.

Definitio divinationis. Ex hac diversa vocis hujus potestate ad præcisam ejus devenire notionem licebit, ita ut divinatio generali ratione sit: Cognitio existentiæ rerum occultarum ex signis. Genus est cognitio existentiæ, quæ vulgo opponitur cognitioni essen-

sentiæ rerum quarumcunque; cognitionis enim speciem divinationem esse, ex dictis patet, & quod sensu proprio ad solam rerum existentiam referatur, natura factorum, quæ tradere laborat, evincit. Objectum sunt res occultæ, ita ut per res non tantum entia ipsa vera, sed entium actiones, facta, & quæ exin proveniunt, fata & connexiones intelligamus; prout voce rerum utimur, cum philosophiam cognitionem rerum per causas appellamus. Occultum vero id dicimus, quod homines neque sensu immediato, neque ratiocinatione deprehendere possunt; ita ut historiæ, ex monumentis haustæ, hic in censum non veniant. Medium cognoscendi sunt signa, quibus res quaslibet, quæ rei alterius existentiam (nam de hac jam sermo est) quovis modo manifestant, notamus. Scilicet secundum Ciceronem cognitionis quæstiones tripartitæ sunt, cum an sit, quid sit, aut quale sit, quæritur: ad primam pertinet divinatio. Existentia vero vel aperta est, cum res sensibus aut ratiocinatione patet, vel occulta, cum ex signis, nexum quemcunque cum rebus ipsis habentibus, deducitur, vel animadvertitur.

§. IV.

Divinatio naturalis & præternaturalis.

Ut divisiones divinationis accuratius eruantur, generaliſſimam aliquam præmittamus, oportet: hac enim ratione in subsequentibus reliquæ commodius sisti, & scopo adhiberi nostro, poterunt. Et enim signa, quorum interventu rerum occultarum existentiam cognoscimus, in universum vel naturalia sunt, a Deo ipso naturæ cursu constituta, sive adivinatoribus, pro talibus habita, ut videre est in Astrologia, Chiromantia, & Critica morborum, cui astrologica etiam signa a quibusdam immiscentur, uti ANDR. ARGOLI, *de diebus criti-*

criticis tractatus, Patavii An. M DC LII. editus testatur; vel præter naturalia, quæ immediate ortum suum a summo Numine, aut a quibuscunque extra hominem spiritibus, trahunt. Deus enim vel signis externis, vel interna revelatione per somnia, inspirationesque varii generis, ut veteres prophetæ omnes exemplis suis comprobarunt, occulta suis revelavit. Alia ergo divinatio naturalis erit, quæ per signa, a Deo per naturæ communis cursum constituta, alia præternaturalis, quæ per signa, immediato spirituum extra hominis naturam influxu producta, exercetur. De naturali divinatione imposterum latius acturi sumus; jam enim præternaturalem iterum in divinam & angelicam, ad quam dæmoniacam referimus, dividendam censemus, licet impræsentiarum non simus solliciti, an & quomodo a spiritibus proficiscatur divinatio, quippe de quo in doctrina de influxu spirituum a Philosophis agitur. Nos ut tribus saltem verbis, quod ajunt, rem illustremus, oracula quædam gentilium, in quibus deos præsentes sibi concepere, ultimæ huic speciei annumeramus. Quamvis enim ANTONIUS van DALE *in Dissertationibus de oraculis gentilium* multis ijsque non inconcinnis argumentis omnia Gentilium oracula deceptionibus tribuere sattagat; nobis tamen plurimæ circumstantiæ pro mixtura quadam artium sacrificulorum & diabolicorum influxuum præstigiarumque militare videntur. vid. post alios JOH. BEAUMONT *in Tract. von Geistern C. XI. §. XVI–XIX.* Ejusdem ferme farinæ sunt specula ista magica, ex quacunque materia præparata, (unde *Crystallen-Seher, kluge Leute*) sed de his quoque ex principiis physicis differere nostrum jam non est.

§. V. Di-

§. V.

Divinatio vere divina eadem eſt, quæ prophetia, ſi hæc ad rerum exiſtentiam revelandam tantum refertur: quatenus vero eſſentiam rerum cum exiſtentia connectit, uti in ſacro codice ſæpe ſumitur, quin imo de manifeſtatione voluntatis divinæ quacunque capitur, prophetia latior erit divinitione. Nos cum nomen tantum quæramus, qua divinationem, a ſolo Deo profectam, a divinatione per quoscunque ſpiritus creatos conſtanter diſtinguere poſſimus; divinam vel præteritorum vel futurorum revelationem prophetiam dicturi ſumus? Sane divinationi in univerſum prophetiam opponere mallemus, niſi violaremus uſum, ex virorum inſignium autoritate deductum, uti vir, eruditione haud vulgari præditus, CASPAR PEUCERUS in ſuo *commentario de præcipuis divinationum generibus p. 6.* omnem prophetiam utriusque teſtamenti μαντικὴν πνευματικὴν appellavit, quem & BALTHASAR MEISNERUS *in philoſophia ſobria P. II. Sect. II. C. II. Q. I. p. 415.* ſecutus eſt. Si prophetiam cum divinatione per creaturas componimus; mirificam & quod ad medium & quod ad finem diſcrimen deprehendimus. Quod medium concernit, omnis prophetia, ſive divina præteritorum aut futurorum revelatio, immediatum influxum divinum, quovis modo factum, requirit; ratione finis vero manifeſtat ſummum numen providentiam ſpecialem & ſpecialiſſimam in Eccleſiam, ejusque membra & hoſtes, ut illa præſentiſſimi auxilii divini conſcia eſſe, hi vero ſtultitiæ ſuæ convinci & confundi poſſint. Omnis prophetia pertinet ad œconomiam gratiæ, non naturæ, & divinatio, quæ utriusque requiſiti caracterem non gerit, prophetia dici nullo jure poterit.

Divinatio divina, ſ. prophetia.

§. VI.

Divinatio daemoniaca.

Divinatio vero diabolica eſt, quæ per inſpirationem diaboli quamcunque hominibus communicatur, cultus ſui promovendi gratia. Equidem poſſibilitatem ejus nemo facile negabit, qui finem conſiderat, in quem diabolus, œconomiæ divinæ, & regimini in homines divino, adverſus, perverſitatis ſuæ natura fertur, & Diabolum medio generali, influere enim in humanum animum corporumque principia natura ſua poteſt, & ſpeciali, cognitione aliqua animorum humanorum, deſtitutum non eſſe perpendit. Noſtrum non eſt, inquiſitioni huic juſto diutius inhærendo, a ſcopo noſtro declinare, & de finibus actionum Diaboli, quatenus ex ratione erui poſſunt, exquiſite tradere. *vid. Dn. Præſidis Philoſophiam P. I. p. 107. ſq.* Neque de influxu ſpirituum in hunc mundum, de quo idem agit ibidem *in Magia naturali C. IV. & V.* prolixius agere vacat. Quod ſi diabolo aliquam rerum humanarum notitiam concedimus; præſenſio futurorum per ipſum nexum reflectendi eidem, ut ſpiritui, non poterit denegari. Referunt vulgo huc oracula: uti varias divinationis ſpecies, quæ a diabolica non multum abeſſe videntur, JAMBLICHUS *de Myſteriis Sect. III.* integra, & ad eum TH. GALE inprimis *C. I. & XI.* ut & *Lohenſtein in Sophonispe p. 79. ſq. & in annot. p. 151--159.* collegerunt. De magicis vero ſpeculis omnium conſenſu conſtat, exhiberi in iſtis figuras rerum & inde reſponſa, in quibus ultimis cum vetuſtis gentilium oraculis conveniunt. De noxa hujus divinationis in alios judicium AUGUSTI LERCHEIMERI *in Dedecenni Theſauro Conſiliorum & Deciſionum Vol. II. p. 422. ſqq.* nobis hic quidem ſufficiet. De ſcientia vero futurorum in Diabolo minime concedimus

mus quod clara ſit & indubia; nulli enim creaturæ futurorum contingentium ſeries perfecte cognita eſſe poteſt, multo minus diabolo, cum ei vera deſit ſapientia. Eſt enim Dei donum, quod abſurdiſſimo ſpiritui uſui datum eſſe nemo evincet. Scriptura ſacra contrarium affirmat, quæ diabolum ſpiritum mendacii appellat, conf. Eſaias C. XLII. Annunciate, inquit, quæ ventura ſunt, in futurum, & ſciemus quod dii ſitis. Dæmones ergo nil certi de futuris contingentibus noſſe, facillime largior *Zachiæ in Quæſtionibus Medico-legalibus L. IV. Tit. I. Qv. V. n. 41--46.* Sed quod additur, dæmonem eſſe ſcientiſſimum, & omnium artium perfectam & conſummatam habere cognitionem, haud conceſſerim.

§. VII.

Divinatio naturalis, ſ. per media naturalia progrediens, ratione finis & medii conſiderari debet, quod utrumque tamen ſupponit poſſibilitatem ejus in homine. Hinc trita illa orta eſt quæſtio: An naturali homines polleant facultate divinandi? de qua venerandus Dn. JO. FRANCISC. BUDDEUS *An. cIↃ IↃc XCVIII.* Halæ diſſertatione ſingulari egit. Nobis diſtingvendum videtur inter facultatem præſentiendi conſequentias quasdem propriæ ſuæ naturæ, licet præcaveri & impediri poſſint, & inter facultatem prænoſcendi omnia aliorum facta & fata: priorem concedimus, poſteriorem negamus. Quemadmodum enim prophetia vera & divina ea vel maxime, quæ ſunt providentiæ divinæ ſpecialis & ſpecialiſſimæ, piis atque credentibus aperit; ita divinatio humana, ſi qua exiſtit, imo dæmoniaca, univerſalis tantum providentiæ res & eventus, de quibus ipſe deus in natura nonnulla dedit veſtigia, hominibus quibus-

De divinatione naturali in genere.

cunque manifestare potest ex signis, a deo constitutis. Deus solus futurorum est manifestator, sive id ipsum per naturalia, sive per præternaturalia signa, efficiat: conf. *Dn. Præsidis diss. an. cIↃ Ixcc XVI. habitam sub Tit. Tentamen generale de Signatura corporum naturalium physica.* Econtrario effectus specialis & specialissimæ providentiæ divinæ solius dei opera sunt, nullique creaturæ sine revelatione divina extraordinaria cognita sunt, aut esse possunt, cujus exemplum evidentissimum est deductio ecclesiæ suæ per tot regna mundana, & membrorum hujus admiranda in hoc mundo custodia. Signa vero ista, de quibus jam modo mentionem injecimus, necessario debent esse naturalia, sive cum rebus existentibus nexum habere physicum. Naturalia signa semper sunt causæ & effectus, sive consequentiæ causarum & effectuum rerum, quas indicant; ut virgulæ mercurialis motus ad perceptionem exhalitionum. Natura enim effectibus & causis, a Deo creatis, tota constat, licet modo proximiores sibi invicem, modo remotiores & obscuriores, deprehendantur. Eventus naturales, aut res quæcunque, quas divinatio humana nobis tradere potest, vel necessariæ sunt vel liberæ, id est in sola determinatione mentis humanæ per accidentales causas positæ. Ergo, si quæ præsciri aut divinari possunt, eo respectu, quo divinantur, necessario non vero libere existere debent: nam relationes causarum & effectuum sunt necessariæ, non quidem necessitate absoluta, sed hypothetica.

§. VIII.

Definitio ejus. Divinatio hæc naturalis, de qua nobis in hac dissertatione vel maxime dicendum venit, ex dictis accuratius oculis nostris subjici, & definitione quadam circumscribi poterit

rit. Est enim cognitio existentiæ rerum occultarum, quæ a causis naturalibus secundum cursum naturæ dependent, per signa rerum naturalia, a Deo constituta, ad universalem Dei in omnia providentiam declarandam. Consueto usu non tam circa præterita, sed maxime circa futura occupatur, uti res medica, physiognomia & astrologia, si qua vera est, abunde testantur. Ejusmodi enim vim divinatricem, qualem hic descripsimus, nemo in universum homini denegavit, nec jure denegare potest; cum deus signa futurorum in multis permiserit, quæ ad vitam caute transigendam pertinent, uti tempestatum, propensionum & temperamentorum, & hinc prodeuntium effectuum, conjecturæ manifestant. *conf.* PAULUS ZACHIAS *in Quæstionibus suis Medico-legalibus p. 332.-334.* Sunt quoque multa, quæ in natura occurrere solent, si accurata mente eorum consideramus originem, mixa suis causis necessariis, licet vulgus, istique, qui ab ore ejus pendent, causas istas ad suam reducere libidinem laborent. Sic morbi temperamentis & ætatibus connexi, causas suas habent necessarias, licet a paucis distincte cognoscantur. Intelligimus vero in omnibus necessitatem hypotheticam, quam libertati non officere docet cum plurimis BALTHAS. MEISNERUS *in Philosophia Sobria P. III. p. 40. seq.*

§. IX.

Ex definitione divinationis naturalis patet, quod sit cogni- *Divisiones ejus ex fine.*
tio existentiæ rerum occultarum, maxime futurarum, naturalium, quæ iterum in physicas & morales abeunt, sive in alias quæ sine directione hominum fiunt, & alias, quæ directioni hominum liberæ subjiciuntur. Divinationes rerum physicarum eo firmioribus nituntur rationibus, quo certius constat,

quod causæ necessariæ eas ut consequentias exigant. Sit de divinationibus tempestatum, quarum novum methodum docuit *Excell.* GEORGIUS ERNESTUS STAHLIUS *in Meteroscopia sua*, facilius consentiunt physici: sed moralium rerum divinationem, cum earum nexus necessarius nullus allegari possit, suspectam plurimi habent. Res physicæ & morales rursus vel circa felicitatem personarum singularum, vel circa felicitatem integrarum rerum publicarum versantur. Ad personas singulares referre principes quoque debemus: uti specimen insigne de fatis Ludovici XII. Galliarum regis, quo simul artium divinatricium veritas aut falsitas prolixe ex ratione atque scriptura s. examinatur, prostat per scripta JOH. LUDOV. HANNEMANNI & LEONHARDI CHRISTOPHORI STURMII. Ille scriptis. *Nativitæt-Spiegel Ludewigs des XIV. Vertheidigung der Astologie, Erste und andere Continuation dieser Vertheidigung &c.* hic tractatibus *Bileams Abfertigung, Antwort auf die Vertheidigung der Astrologie wieder Hannemannen*, it. *Letzte und völlige Abfertigung Bileams* rem suam tuetur. De integris rebus publicis divinationes multæ circumferuntur, ut de pontificum Romanorum & de regum Polonianum successione, maximam partem ex insignibus heraldicis. Ultimæ explicationem aliquam cum defensione Astrologiæ dedit vir clarissimus D. JO. WOLFFGANG TRIER *in Diss. de insignibus regiis Polonicis* §. 12--16.

§. X.

Divisio ex medio. Divinationes naturales fiunt per signa rerum & fatorum naturalia, quæ vel phantastica aut imaginativa, vel realia deprehenduntur. Signum imaginativum est idea phan-

tastic

taſtica quæcunque, de futuro fato, vel de quacunque exiſtentia rerum occultarum, excitata, quippe quæ has ipſas vel imagine repræſentat, vel reapſe contemplationi imaginativæ ſubjicit. Cum itaque ſigna iſta imaginativa impreſſione & vi imaginationis nitantur, is, qui majore præ cæteris gaudet imaginandi virtute, excellere in hac divinatione, ſi qua eſt, poterit: unde temperamenta melancholica ad inveniendas divinationes aptiſſima a multis habentur. Huc pertinent inſomnia, quæ vel res ipſas vel rerum ſymbola repræſentant, nude Onirocritica veterum. Varia ſunt antiquorum de inſomniis commenta: ex quibus tamen, ſi quid judico, præter *Artemidorum* eminet SYNESIUS EPISCOPUS CYRENES *libro* περὶ ἐνυπνίων, & in hunc NICEPHORI GREGORÆ ἑρμηνεία *ſive interpretatio* exhibita *edit. Syneſii ab Adr. Turnebo. Pariſiis an. MDLIII.* Huic adjicimus ASTRAMPSYCHI ονειροκριτικόν quod primum ex SVIDA, niſi me omnia fallunt, collegit & edidit JOSEPHUS *Scaliger in Opuſculis diverſis græcis & latinis Pariſ. an. MDCV.* Huic pertinent eeſtaſes divinatoriæ, & divinationes per quamcunque imaginationem, fortius & vehementius in rem aliquam deductam, ut divinationes, quæ per raptum fiunt, aut in furore febris peraguntur, quibus jungi poſſunt divinationes per puncta, quæ requirunt, ut animus omnibus aliis ſolutus, in ſolum objectum manticum intentus reddatur, & per puncta vim ſuam divinatricem, quam cultores ejus celebrant, exſerat.

§. XI.

Sigma mantica realia ſunt, quæ rebus ipſis, extra hominem poſitis, cohærent: uti motus ſiderum ſigna rerum, quæ inter homines & cum hominibus geruntur, haberi ab aſtrologis *De ſignis divinationis realibus.*

logis consueverunt. Licebit hic tantum ad annos climactericos, qui multis magnam curam attulere, exempli loco provocare, in quibus in primis reale fatorum signum inveniſſe plurimi ſibi viſi ſunt, ut Cl. SALMASIUS *de annis climactericis & antiqua Aſtrologia diatriba abunde teſtatur.* In utramque partem BAPTISTA CODRONCHUS *de annis climactericis & ratione eorum pericula vitandi, Colon. cIↃ IↃcXXIII.* & JACOBUS FONTANUS *de Aſtrologia medica, & vanitate ejus, libro ſingulari, Lugduni an. cIↃ IↃc XXV.* de his ſignis divinatoriis diſceptarunt. Variant ſigna realia pro diverſitate rerum, a quibus ducuntur: in univerſum tamen vel ex rebus ipſis, de quibus divinatio fieri ſolet, ut in Phyſiognomia, Chiromantia, Metopoſcopia &c. videre eſt, vel ex aliis, quæ aut cum Deo aut cum rebus, de quibus divinatio ſuſcipitur, nexum aliquem habere creduntur, ortum trahunt, uti de aſtris modo commemoravimus. Refero huc veterum gentilium auguria, auſpicia & extiſpicia, cum innumeris aliis ſpeciebus, a rebus creatis deductis, de quibus *Peucerus* prolixe, uti *Tabula*, indicis vice ſubjecta, indicat. Jungi huic CICERO *de divinatione*, BALTHASAR MEISNERUS *in Philoſophia Sobria P. II. p. 413. ſeq.* & omnium inſtar EDONIS NEUHUSII *divinatio ſacra & profana, ſ. Fatidicorum libri III. Amſtel. 1658.* poterunt. Sed horum deliramentorum myrmecia ſunt.

§. XII.

Divinvtio inartificialis & artificialis &c.

Signa divinatoria vel ſine hominis arte obvenire, ut ſi quis ſomniando futura deprehendat, vel arte quadam humana dijudicari poſſunt; unde nota eſt divinationis naturalis vel potius inartificialis & artificialis, jam Ciceroni celebrata, diverſitas. *Eſt autem ars in iis, qui novas res conjectu-*

ectura perſequuntur, veteres obſervatione didicerunt. Ca-ent autem arte ii, qui non ratione aut conjectura obſer-atis aut notatis ſignis, ſed concitatione quadam ani-ni, aut ſoluto liberoque motu futura præſentiunt, quod omniantibus ſæpe contingit, & nonnunquam vaticinantibus er furorem. Cicero de divinatione L.I.C.XVIII. Porro omnis ivinatio ratione hominis divinatoris vel ut πάρεργον tan-um exerceri poterit, quemadmodum eruditi ſæpe præ-epta aſtrologiæ addiſcunt, tradunt, aut themata cœleſtia rivato ſtudio deſcribunt; vel in genus vitæ, quo quis in ci-itate conſervationis inter alios ſuæ media conquirit, abi-e, uti quondam augures peculiare apud Romanos colle-ium conſtituere, & noſtra ætate gerrones illi genethliaci, *ie Planeten-Leſer*, ementita arte quæſtum hinc inde face-e conſueverunt. Tales erant illi, quos antiquitas tanto-ere exagitat, Chaldæi atque mathematici, de quibus in ſub-equentibus latior ſe aperiet diſſerendi campus v. CICERO-EM *de Divinatione Libr.II.c.43.ſqq.*

§. XIII.

Quod ſi jam omnem de divinationis natura doctrinam unum conferre placet; eſſe hanc vel præternaturalem, l naturalem, illamque vel divinam, quam prophetiam ximus, vel dæmoniacam conſtabit: naturalem porro ra-one finis in divinationem rerum phyſicarum & mora-um, de ſingulis perſonis, aut de integris rebus publicis vel vitatibus, conceptam, abire: eandem rurſus mediorum ra-ne vel phantaſticam eſſe vel realem, vel inartificialem aut turalem vel artificialem: & demum omnem ex fine homi-divinatoris modo πάρεργον tantum, modo vitæ genus, con-uere. Omnibus his naturalibus divinandi ſpeciebus, ſive

Collectio ſpecierum.

veris sive falsis, de quo jam non est disceptandum, superstitiones varii generis accedere posse, vix est quod moneamus, siquidem hanc in omnibus naturæ rebus locum habere posse, nemo facile negabit.

CAPUT II.

DE PROHIBITIS IN CIVITATE DIVINATIONIBUS.

§. I.

De prohibitione divinationis in genere.

SIquidem de natura & generibus divinationis, maxime naturalis, satis constat: ut de usu ejus in civitate, & quid prohibitum aut prohibendum legibus civilibus sit, agamus, officii nostri est. Quam arcte rerum natura cum naturæ humanæ legibus, maxime cum iis, quæ civitatem ad omnem felicitatem formant & conjunctæ colligatæque inter se jus naturæ civitatis appellantur, cohæreat, hinc apparebit. Nec physicam scientiam, aut si mavis cognitionem, sine ullo in rebus moralibus usu esse, cerni poterit: cum eam omnem vel artibus, vel prudentia morali & intellectuali, ad vitam transferri & posse & debere, inter probos civilesque philosophos non sit obscurum. Leges ipsæ, quibus civitates reguntur & temperantur, ex natura accersi debent, vt scite CICERO in eo, quem *de legibus* composuit libro, ita ut lex quoque civilis ei sit *justorum injustorumque distinctio, ad antiquissimam & rerum omnium principem expressa naturam, ad quam leges hominum diriguntur &c.* v. *edit. Morabini p. 146. sq.* Quid veterum leges, quid recentiores, de divinationibus jusserint, primum expendere, & his conclusiones nostras ordine subjicere, ani-

animus eſt, ut hæc omnia ex ſe invicem lucem accipiant.

§. II.

Divinationes varias ſimpliciter & abſolute civitati Judaicæ interdixit *Moſes*, legislator divinus. *Deut. XVIII. v. 9--12. non inveniatur, in te, qui luſtret filium ſuum, & filiam ſuam, igne, divinans divinationes, præſtigiator, & augur. Neque incantator, neque pythones interrogans, neque portentorum interpres, neque qui mortuos quærit &c.* Quicquid de vocum Hebraicarum, quibus hæ abominationes gentilium exprimuntur, diſputari poteſt, jam nos parum curamus, maxime cum HANNEMANNUS & STURMIUS ſcriptis *C. I. §. IX.* adductis, multum de hac re diſceptaverint: ſed legis ipſius circumſtantias tantum conſideramus, ex quibus dubia, quæ eruditis orta ſunt, plurima tolli ſine labore poſſunt. Etenim finis legis manifeſtus eſt ex *v. 9. ſi ingreſſus eris terram, quam Deus tuus Tibi dabit, non addiſcas agere ſecundum gentium illarum abominationes, ſive cultus idololatricos, & v. 12.* Addit *v. 13. integer ſis coram Deo tuo v. 14. nam gentes illæ, quas in ſortem tuam accipies, audiunt præſtigiatores & divinatores, ſed tu non ita edoctus es a Deo tuo. v. 15. prophetam ut me, ex fratribus tuis excitabit tibi dominus, quem, ſolum ſcilicet, audies.* Hic finis, ut populus Iſraëliticus a gentium idololatricarum diis, & cultibus deorum, quibus longa conſuetudine deditus erat, abduceretur, & ſoli providentiæ divinæ, ac revelationi ſacræ, quæ a ſolo Chriſto & ejus ſpiritu, ut omnis vera prophetia, proficiſcitur, ſua omnia committeret, requirebat, ut ea divinationum genera penitus proſcriberentur, quibus aliquid cultus dæmoniaci ac idololatrici inerat. Reliquæ divina-

Prohibitio Moſaica.

tiones naturales, ſi quæ ſunt, cum ex ſignis, a Deo in natura conſtitutis, prodeant, earumque prohibitio, cum ad cultum idololatricum gentium orientalium evitandum nil conferant, fini legis minime conveniunt. Confirmant hoc partim ipſæ ſpecies cultus idololatrici immixtæ, ut luſtratio liberorum per ignem, & interrogatio pythonum, partim ſubjectum pœnæ *v. 20.* conſtitutæ, quod *omnes prophetæ, in aliorum Deorum nomine divinantes, morte plectendi ſint.* Quare prohibitæ divinationes erunt illæ, quæ in nomine falſorum fiunt deorum, quasve per ſacerdotes, ſacerdotumque collegia, exercere veteres paganorum conſueverant. Conf. STANLEJI *hiſtoriam Philoſophiæ orientalis*, & ea, quæ de Chaldæorum divinationibus *C. XXII.* & *XXIII.* ut & de divinatione Perſarum *C. VII.* annotavit.

§. III.

Probibitio divinationis ap. Roman. gentiles.

Variis modis in divinatores veteres quoque Romani, ante Jus Juſtinianeum collectum, animadverterunt: aſt non in omnes, ſed in eos tantum, quos mathematicos, Chaldæos, & Genethliacos dicunt, uti aſtrologi fere ætate noſtra vocantur. conf. *Juvenalem Satyra XIV. v.348.* Hanc ipſam aſtrologorum artem ita deſcripſit de divinatione CICERO *L. II. C.XLII. ad XLVIII.* ut exoſam eandem Romanis plurimis fuiſſe non obſcure colligatur. Jam liberæ reipublicæ tempore proſcripti ex Italia erant hi ſpurii mathematici, cujus rei exemplum affert VALERIUS MAXIMUS *L. I. c. III. an. Urbis DCXIV.* edicto C. Cornelii Hiſpalli Prætoris. An. DCCXXI. M. Agrippa Ædilis eosdem urbe interdixit, uti ab Auguſto An, DCCLXI. interdictum omne vaticinium fuiſſe ex DIONE LIPSIUS teſtatur, *comment. ad Taciti Annal. L.II. C. XXXII. & edit.* JAC. GRONOVI *p.737.* Graviſſime eos Tibe-

Tiberius Nero afflixit, ut c. l. TACITUS teſtatur verbis: *Facta & de mathematicis Magisque Italia pellendis ſenatus consulta: quorum e numero L. Pituanius ſaxo dejectus eſt &c.* Verum non defuere his ipſis latibula, ex quibus rurſus in apricum prodiere, nec patroni inter viros urbis ſummos, maxime ſub imperatoribus. Ad Theogenis Mathematici pergulam comite Agrippa aſcendit Auguſtus Cæſar, ſibique, cum ad genituram ſuam ille exſiliverit, ſumma quæque denunciaturus, placuit mirifice. SVETON. *in Aug. C. XLIV.* Adrianus Cæſar matheſin, id eſt Aſtrologiam, ſic ſcire ſibi viſus eſt, ut ſero Calendis Januariis, ſcripſerit, quid ei toto anno poſſet evenire: ita ut eo anno, quo periit, usque ad illam horam, qua eſt mortuus, ſcripſerit, quid acturus eſſet. v. ÆL. SPART. ADRIAN. *C. XVI. T. I. Hiſtoriæ Auguſt. p. m. 258. ſeq.* Severo Imperatori, matheſeos peritiſſimo, uxor placuit, quæ id genituræ haberet, ut regi jungeretur. *id. in Severo C. III. p. m. 594.* Ita matheſeos peritus Alexander ſeverus fuit, ut ex ejus juſſu mathematici publice propoſuerint Romæ, ac ſint profeſſi ut docerent. ÆL. LAMPRID. *in Alex. Sev. C. XXVII. ib. p. 937.* Gordiano ſeniori & juniori mathematicus diem & genus mortis, & loca, quibus eſſent perituri, obſtinata conſtantiæ veritate prædixit. JUL. CAPITOL. *in Gordian. Jun. C. XX. Hiſt. Aug. Script. T. II. p. m. 106.*

§. IV.

Ita a Romanis gentilibus, qui divinationibus dediti ſemper fuerunt, divinatores mathematici, modo conſulti, modo Roma ejecti fuerunt. Hinc nata mihi ſuſpicio, Romanos, non quod divinationibus adverſi eſſent, ſed quod augures cum turba gentilium ſacerdotum, ut quæſtus ſui cor- *Cauſa hujus prohibitionis.*

ruptores, ferre non potuerint mathematicos seu astrologos, hos ipsos sæpius expulisse. Romulus augur erat, & auspicato condidit urbem: auguribus Reges usi sunt, exactis regibus nil publice sine auspiciis gestum. Omnis ex Etruria divinandi scientia Romam accersita fuit, & augurum constitutum sanctissimum collegium: Sibyllinis maxime versibus decem interpretes delecti fuerunt, CICER. *de divin. L. I. C. II.* Omnia hæc auguria, hac enim voce latini pro quacunque divinatione sæpe utuntur, in magistratus potestate erant; his sacrificia adhibebantur interdum, & magna pars civium splendide iisdem nutriebatur. Hinc illæ lacrymæ, quod novos divinatores mathematicos, omnibus libere patentes, nullum collegium constituentes, & extra imperii usum positos, auguria enim corrumpere pro lubitu poterant, nil divini & dæmoniaci spirantes, ferre nullo modo possent. conf. J. C. BULENGERUS *de augurüs & auspiciis.* Persuadet hanc conjecturam nostram, quod soli mathematici & genethliaci non augures proscripti fuerint, quibus semper sanctissime usi sunt: quod gentilium religio non possit damnare divinationes, cum his fere tota niteretur; quod ratio status religionis hujus admittere divinatores ejusmodi domesticos, & ordini sacro haud initiatos, non potuerit, ne caderet deorum sacerdotumque æstimium atque quæstus; quod demum, cum proscriberent astrologos, simul restaurare auguria veterum summopere elaborarint. Testis est CLAUDIUS ap. *Tacitum Annal. L. XI. C. XV.* qui ad senatum super collegio haruspicum ita retulit: *ne vetustissima Italiæ disciplina* (auspiciorum) *per desidiam exoleseeret: sæpe adversis reipublicæ temporibus accitos, quorum monitu redintegratas ceremonias, & imposterum rectius habitas, primoresque Etruriæ sponte aut patrum*

rum Romanorum impulsu retinuisse scientiam, & in familias propagasse: quod nunc segnius fieri, publica circa bonas artes (auguria sc. auspicia, & libros sibyllinos interpretandi artem) *socordia, & quia externæ superstitiones* (mathematicorum sc. & genethliacorum ex Chaldæa & a Græcis translatæ divinationes) *valescant.*

§. V.

Applicatio ejus ad leges Romanorum.

Atque ex his arcanis status Romani facile quid de legibus Romanorum gentilium adversus divinatores judicandum sit, deprehendimus. Scilicet sub titulo mathematicorum vaticinatorumque, imo ausim dicere magorum & maleficorum, non tam certa & clara crimina, sed eas artes, quæ religioni gentilium patriæ, ceremoniis ejus, & sacerdotum collegiis ac autoritati quæstuive, adversabantur, intellexere: ita ut innoxias sæpe res, imo & bonas interdum, sub specie novæ religionis, & publicæ noxæ, suppresserint. Tota religio gentilium cultus dæmonum erat, divinatio perpetua eaque stultissima, maleficia omnis generis impune inter eos, Romæ etiam, grassabantur, modo hæc omnia a gentilium sacerdotibus, & qui cum iis faciebant, administrarentur. Confirmat hoc JULIUS PAULUS *sententiarum receptarum L. V. Tit. XXI.* verbis: *Vaticinatores, qui se Deo plenos assimulant,* (i. e. alios deos, quam quos Romani colunt, adfectant) *idcirco civitati expelli placuit, ne humana credulitate publici mores ad spem alicujus rei corrumperentur, vel certo ex eo populares animi turbarentur. Ideoque primo fustibus cæsi civitate pelluntur, perseverantes autem in vincula publica conjiciuntur, aut in Insulam deportantur, vel certe relegantur. Qui novas, & usu vel ratione incognitas religiones, inducunt* (hinc patet ratio, cur oppresserint mathematicos & vaticinatores)

ex

ex quibus animi hominum moveantur, honestiores deportantur, humiliores capite puniuntur. Ex quibus verbis simul fata, quæ sanctis Apostolis in orbe Romano obvenere, illustrari possunt. Hinc est, quod *Favorinus* Chaldæos tantum & genethliacos damnet, non augures & haruspices, quibus eadem fere opponi poterant ap. GELLIUM *Noct. Attic. L. XIV. C. I* econtrario ille irrisor deorum gentilium, *Lucianus* Samosatensis, astrologiam scripto singulari concelebraverit. *vid. Opp. ejus T. I. p. m. 856. seq.* Quapropter leges adversus divinationes non ex natura earundem, sed ex genio religionis gentilium dominantis, profluxere, & ex eodem explicari debent; ita ut componere cum illis eas, quas religio christiana peperit, huic ipsi parum honoris conciliet. Sane, si audire Mosen placeret, non tam astrologiam, quam auguria, auspicia, & sibyllina oracula, hisque similia, prohibere conveniet.

§. VI.

Illustratio dictorum.

Quam male itaque cum lege Mosis Deut. XVIII. veterum Romanorum gentilium in mathematicos & divinatores effata comperaverit *autor*, quicunque fuerit, *collationis Mosaicarum & Romanarum legum, ex integris Papiniani, Pauli, Ulpiani &c. libris* ante tempora Justiniani desumtæ, cum finis & medium legum harum, & ita crimina quoque, prohibita, toto quod ajunt cœlo differant. Divinatores sacrificulos, & sacris cultus sui collegiis adscriptos, legibus suis defendere Romani veteres ac conservare cupiebant: at hos ipsos, horumque similes, exstirpare, aut ne orirentur cohibere, Moses voluit. Duo, cum idem dicunt, aut dicere videntur, non idem statim sentiunt. Edita est hæc collatio primum a P. PITHEO, forma octava, & dein ab ANTONIO SCHUL-

SCHULTINGIO *Jurisprudentiæ veteri Ante-Justinianeæ* inserta, *edit. Lugd. Batav. an.* cIↃ IↃcc *XVII. p.* 721. *sqq.* notisve illustrata pereruditis. *Titulus est XV. de mathematicis & manichæis*, cui ex ULPIANI *Libr. VII. de officio Proconsulis*, titulo de mathematicis & divinatoribus, hæc verba adscripta sunt: *Præterea interdicta est mathematicorum callida impostura, & obstinacitate* (obstinata) *persuasio. Nec hodie demum interdici eis placuit: sed vetus hæc prohibitio est.* (v. §. 3.) *denique extat senatus consultum Pomponio & Rufo Cons. factum, quo cavetur, ut mathematicis, Chaldæis, ariolis & cæteris, qui similem incertam* (incertorum artem) *fecerunt*, (ac si augures haraspicesve, certi quid habuissent!) *aqua & igni interdicatur: omniaque bona eorum publicentur: & sic* (hic quædam desunt) *æternus gentium, qui si id fecerit, ut in eum animadvertatur. Sed fuit quæsitum, utrum scientia hominum puniatur, an exercitio* (exercitatio) *& professio. Et quidem apud veteres dicebatur, professionem eorum* (si scilicet vitæ genus exercere astrologicum & divinatorium vellent,) *non notitiam esse prohibitam. Postea variatum: nam* (nec) *dissimulandum est, nonnunquam irrepsisse in usum, ut etiam profiterentur,* (i.e. docerent) *& publice reprehenderent* (responderent v. §. 3.) *quod quidem magis per contumaciam, & temeritatem eorum factum est, qui visi erant vel consulere, vel exercere, quam qui fuerant permissum* (quam quod fuerit permissum) *sæpissime demum interdictum est, fere ab omnibus principibus, ne quis omnino ejusmodi ineptiis se immisceret, & varie puniti sunt hi, qui id exercuere, pro mensura scilicet & consultationis* (sceleris & consultationis.) *Nam qui de principis salute capite puniti sunt, vel qua alia graviori*

pœna affecti. Enimvero ſiquidem (deſunt varia) *ſvaſorumque levius inter hos habentur, quam vaticinatores, hi quoque plectendi ſunt: quoniam nonnunquam contra publicam quietem imperiumque populi Romani improbandas artes exercent &c.*

§. VII.

Conſectaria exin deducta.

Quod ſi hanc Ulpiani prolixam doctrinam cum iis, quæ ſuperius dicta ſunt, componimus, varia hinc concludi ad illuſtrandam divinationis prohibitionem poſſunt. Etenim primo mathematici & malefici, divinatoresque, ubique fere conjunguntur, prout in *Codice Juſtinianeo L. IX. Tit. XVIII.* etiam factum legimus; non quod aſtrologi & genetliaci aliquid cum diabolo commercii habuerint, nam ne quidem per artis, aut fictionis, ſuæ naturam habere poſſunt, licet plurimi noſtra etiam ætate ſibi hoc perſuaſerint, ſed quod partim ſacra turbare gentium auguria crediti fuerint, partim imperii & imperantium facta omnibus prodere & profanare, & ita vitæ ſecuritatti officere. Hinc iis adſcripta criminibus divinatio eſt, quæ circa res ſacras committuntur. Secundo veterum exempla prohibitionum divinationis ſatis manifeſtant, neminem, niſi qui profeſſus divinationes ſit, aut de aliorum fatis, maxime principum dominorumque, divinatores quæſiverit, facile pœna notatum fuiſſe. Erant enim auguria gentilium fere in manibus imperantium, neque dii divinabant facile, niſi quæſiti: ſed divinatorum aſtrologicorum ars, in cujusvis magiſtri poteſtate conſtituta, adhiberi a quolibet, & clanculum, de perſonis & rebus quibuscunque poterat. Cum in principum necem aut interitum tot eſſent proclives, qui conſpirarent; a ſervis, duriſſime habitis, domini vix tuti eſſent, in civi-

tate

tate præcipue, quæ armis condita & amplificata erat: præter arcanum religionis imperii ratio accedebat, quæ ejusmodi vagos divinatores, & procaces consultores, coërceri iubebat. Loquuntur hoc non tantum ULPIANI, sed & IULII PAULI verba *sententiarum receptarum Lib.V. Tit. XXI. n.3. & 4. Qui de salute Principis, vel de summa reipublicæ, mathematicos, ariolos, aruspices, vaticinatores consulit, cum eo, qui responderit, capite punitur. Non tantum divinatione quis, sed ipsa scientia ejusque libris melius fecerit abstinere. Quod si servi de salute dominorum consuluerint, summo supplicio, id est, cruce afficiuntur. Consulti autem, si responsa dederint, aut in metallum damnantur, aut in insulam deportantur.* Conjunguntur hic mathematici, ariolli, & aruspices, cum ratio religionis eo, de quo loquitur PAULUS, casu cesset, sola imperii ratione relicta: & ratio legis longe fit clarior, cum pateat, quid divinationes libere adhibitas in Republica Romana in criminis suspicionem adduxerit. conf. Exemplum FURII SCRIBONIANI. *Tacit. Annal. L.XII. C.52.* Tertio, cur varii Imperatores astrologos fovere, & se his tradere artibus, consultum duxerint, non potest esse obscurum: siquidem illis, quibus bona prædicta erant, placebant divinatores. Huc pertinet TACITI effatum *Hist.L.I. C.XXII.* Mathematici sunt *genus hominum potentibus infidum, sperantibus fallax, quod in civitate nostra & vetabitur semper, & retinebitur.*

§. VIII.

Postquam Christianismus caput extulit, & ex legibus Romanis jus collectum est Justinianeum, cessavit quidem illa ratio legum de divinationibus prohibendis, ex religionis gentilis dominio derivata, sed successit ex religione christia- *Prohibitio divinationis in Jure Justinianeo.*

na ſummum argumentum, de iis tantum divinationibus proſcribendis, quæ aliquid gentilis religionis, aut dæmoniaci cultus, involvunt. Cum vero hæ rationes ſecretæ in legibus colligendis non fuerint, & illa, quæ ob periculum principum divinationes vetat, utpote ex natura civitatis fluens, ſtabilis & firma manere debuerit: ipſæ etiam Codicis Juſtinianei leges modo ad hanc, modo ad alteram, pertinere obſervantur. *Lex II.* eadem eſt, quæ veterum Romanorum, ejusdem adhuc rationis & ſenſus, ſub Diocletiano & Maximiano, gentilibus, edita. *Artem Geometricæ*, ait, *diſcere aut exercere publice.* (i. e. profiteri publice) *intereſt. Ars autem mathematica* (ſ. aſtrologica & genethliaca) *damnabilis eſt, & interdicta omnino.* (ſc. ſi quis diſcere eam atque exercere publice velit, uti modo de geometria dictum erat) *Lex III.* ſub Conſtantino pronunciata, ſapit Chriſtianiſmum, & extenditur ad augures & aruſpices, quos tollere funditus, utpote cultus gentilis non infimam partem, e re Chriſtiana erat. Hinc prohibet *aruſpicam, ſacerdotum, eorumque, qui huic ritui adſolent miniſtrare,* (hæ profeſſiones omnes ſub Romanis colebantur, & ita lex ad ſacram gentilium divinationem exſtirpandam referri debet) *obambulutionem apud cives, & veterem quoque amicitiam, punit hos omnes, & conſultores quoscunque, imo* indices, ſive *delatores utrorumque collaudat. Lex I.* miſcet rationem religionis chriſtianæ, & ſecuritatis principum civiumque, his verbis: *Nemo haruſpicem conſulat, aut mathematicum, nemo ariolum* (miſcentur hic aruſpices mathematicis contra genium gentiliſmi Romani) *Augurum & vatum prava confeſſio* (mallem profeſſio, ut cum Ulpiani verbis. §. VI. quod non ſcientia ſed profeſſio fuerit damnata, conſpiret, & ſenſus in contextu, qui alias deeſt, aut hiulcus deprehenditur,

planior

planior emergat, ſed cum variæ lectiones deſint, nil mutandum) *conticeſcat* (hoc reſpicit gentiliſmum, qui augures & vates publice alebat) *Chaldæi ac magi, ac cæteri &c. nec ad hanc partem* (id eſt, ad ſolam quoque divinationem) *aliquid moliantur. Sileat omnibus perpetuo divinandi curioſitas.* (ne ergo principi aliquid a divinatoribus metuendum ſit, in univerſum profeſſio hæc prohibetur.) *Lex VII.* ad ſolam rationem politicam pertinet, cum *imperator in comitatu ſuo nullum aruſpicem, ariolum, augurem, mathematicum, ſomniorum interpretem, aut quemcunque divinatorem, ferre velit, ne de vita & fatis ejus reſpondeant*, qua curioſitate & ſuperſtitione vita quondam Imperatorum ſæpe in diſcrimen vocata fuerat. Sic, cum prætrepidus & obnoxius viveret Tiberius Nero, haruſpices ſecreto ac ſine teſtibus conſuli vetuit. SVETON. *in Nerone. C. LXIII.* *Lex VIII.* pronunciat, *culpam ſimilem eſſe tam prohibita*, (profeſſionem ſc. divinandi) *diſcere, quam docere* (ſ. publicam doctrinam divinatorum interdicit.)

§. IX.

Quod ſi plura examinare jura ad noſtram usque ætatem vellemus, & Canonici juris dura ſæpe, & arcanis pontificiis innixa, effata excutere, nimis longa evaderet prohibitionis artium divinatricium hiſtoria. Contrahere igitur hanc diſquiſitionem ſatius erit, cum naturæ effata ex jam dictis illuſtrari ſatis poſſint, & ad ſolam adhuc Juris Saxonici hodierni ſanctionem provocare, quæ *Conſtitut. Elector. II. Partis IV.* his verbis legitur: *Deßgleichen ordnen, ſetzen und conſtituiren wir, daß auch die, ſo ſich unterſtehen, aus des Teuffels-Kunſt wahr zu ſagen, oder mit dem Teuffel durch Cryſtallen oder in andere Wege Geſpräche, oder dergleichen* *Prohibitio ejusdem in Jure Saxonico.*

Gemeinſchafft zu halten, und ſich von ihm geſchehener Dinge Bericht und Erforſchung zu erholen, mit dem Schwerd vom Leben ſollen gerichtet und geſtraffi werden. Ad religionem ergo chriſtianam, ut hæc caſta & illibata conſervetur, reſpexit legislator ſapientiſſimus, & ex ipſa natura divinationis malæ cauſam accerſere legis voluit.

§. X.

Principium prohibitionis ex Jure Naturæ.

Quid in civitate ex jure naturæ civitatis juſtum ſit circa divinationes, & quousque prohiberi debeant, jure quærimus. Civitas eſt ſocietas hominum, quæ per imperium humanum, in omnes conſtitutum, externæ omnium felicitatis amplitudinem & ſecuritatem quærit. *vid. Dom. Præſidis Diſſertat. de eruditorum in civitatem officiis §. II.* Quicquid ergo cum felicitate externa civium, ejusque amplitudine & ſecuritate pugnat, jure a civili imperio prohibetur. Jam opus erit, omnia divinationum genera, primo capite recenſita, huic principio ordine ſubjicere, ut eorum prohibita aut permiſſa natura in civitate pateſcat. In cauſis quidem exemplorum, quæ de divinationibus occurrunt, explicandis ſæpe præſtat cum Romanis judicibus confugere ad illud tritum: non liquet; aſt in generum collatione cum fine civitatis res non adeo illiquida eſt, quin facilis dari ex hactenus expoſitis deciſio poſſit.

§. XI.

Non omnis divinatio in civitate prohibita eſt.

Quod ſi divinationem in univerſum conſideramus, utpote cognitionem exiſtentiæ rerum occultarum ex ſignis; hæc ipſa inſignem, ſi vera & tuta eſſet, uſum, cautionem videlicet in rebus gerendis, præberet. Omnem itaque divinationem, aut ejus naturam, cum fine civitatis non pugnare, ſed felicitatis, ejusque ſecuritatis ac amplitudinis, ratione

cum

cum eodem conſpirare, facile conſtat; ita ut quædam modo divinatio jure civitatis prohibeatur. Exercent divinationes naturales rerum phyſicarum œconomi & hortulani omnis generis; nec ſi quis ridiculis quoque divinationum regulis & cautelis (*Bauer-Regeln*) ſibi proſpicit, & hinc ducit emolumentum, cenſuram meretur. Valet hic ſæpe illud *Ciceronis fratris: Hoc ſum contentus, quod, etiamſi quomodo quidque fiat ignorem, quid fiat intelligo.* Quin imo omnis divinatio naturalis, quæ a dæmoniaca abeſt, ſi quis eam de ſe & rebus ſuis inſtituit, aut ut inſtituatur ab alio rogat & percipit, nil civitati adverſum continet, ac cujuscunque judicio jure meritoque relinquitur. Supereſt in civitate naturalis libertas, ſed reſtricta ac limitata ad civitatis finem; ita ut cuisque de ſua ſtatuere fortuna, ni aliis noceat, libere poſſit.

§. XII.

Neque fieri poteſt, ut omnis divinandi, aut divinationes percipiendi, libertas civibus adimatur. Divinationes, quæ per inſomnia obveniunt, aut per quemcunque morbum, raptum aut ecſtaſin, de quarum ratione naturali aut præternaturali hic nihil ſtatuimus, ut plurimum invitis contingunt, aut non expectantibus, atque ita ne prohiberi quidem poſſunt. Artificiales vero divinationes ne quis de ſe ipſo adhibeat, efficere legibus vix licet; cum nemo perpetuum ſui habeat, aut libere cuſtodem poſſit, & ne quidem omnia, etiamſi inconcinna, legibus & pœnis civitatis notari debeant, ne cives in ſtatum abeant miſerrimæ ſervitutis. Aliud eſt diſuadere, aliud cogere, ut *Plato hoc quoque legis putavit eſſe, perſuadere aliquid, non omnia vi ac minis cogere. Cic. de Legibus. p. m. 150.* *Neque prohiberi poteſt.*

§. XIII.

§. XIII.

Prudentis non est, ea uti.

Quamvis vero jure naturæ civitatis privatas ejusmodi de seipso divinationes, etiam artificiales, prohibitas non esse statuamus: in ea tamen mente non sumus, ac si prudentis viri sit, eas de fatis suis adhibere, aut fidem suam iisdem addicere. conf. *Dn. Præsidis Philosophia, Facult. Superior. accommodata P. II. p. 347.* Incerta hic sunt omnia, si quæ sunt, signa: nemo prudens fidet incertis. Vana sunt plurima: sed non est prudentis, innani lusu decipi. Ad spei metusque excessum ducunt multa: cavet hunc omnium maxime prudens. Inflatum aut anxium cor semper circumferunt, quotquot his artibus delectantur, sibimet ipsis, & tranquillitati suæ, usu earum semper adversi. *Omnes omnia scire divinando volunt, & quod fide nequeunt, ratione non sperant, fatis & astris experiri credunt; malis omnibus una medicina religio, non in labris, pulpitis, cathedris, scriptis controversis, sed in corde, vita, actionibus:* prout optime statuit personatus scriptor *T. Fatidicus, in Mercurio ad Dolobellum. p. 301. seq. coll. p. 112. 115.* Equidem licet finis divinationum genuinus vitæ sit cautio, & LUCIANUS *de Astrologia p. m. 836. T. I. opp.* in eo usum astrologiæ ponat, *ut bona multo ante delectent, mala vero, cum non inprudentibus accidant, facile accipiantur,* ὃ γάρ σφισιν ἀγνοέουσιν ἐπέρχεται, ἀλλ ἐν μελέτῃ, καὶ προσδοκίῃ, ῥήδια, καὶ πρηέα ἡγεῖται: mihi tamen utrumque ferre humanam imbecillitatem non posse videtur, quia spem & metum continere homo rarissime potest. Præfero judicium FAVORINI apud GELLIUM *Noct. Attic. Libr. XIV. C. I.* sub finem. *Aut adversa eventura dicunt, aut prospera: si dicunt prospera, & fallunt, miser fies expectando; si adversa dicunt & mentiuntur, miser fies, frustra timendo. Sin vera respon-*

reſpondent, eaque ſunt non proſpera: jam inde ex animo miſer fies, antequam e fato ſias. Si felicia promittunt, eaque ventura ſunt; tum plane erunt duo incommoda. Et expectatio Te ſpe ſuſpenſum fatigabit, & futurum gaudii fructum ſpes Tibi jam præfloraverit. Nullo igitur pacto utendum eſt iſtiusmodi hominibus, res futuras præſagientibus.

§. XIV.

Omnem omnino naturalem divinationem, maxime artificialem, diabolo adſcribere cum LERCHMEIERO apud *Dedecennum in Conſiliis Theologicis P. II. p. 426.* durum nimis videtur judicium: ſed omnem ejus ad fata exploranda uſum cum Chriſtianiſmi practici natura pugnare certiſſimum habeo. Deo ſoli Chriſtianus vivit, ſoli ejus providentiæ fidet, ab hac precibus omnia petit, omnia expectat, ejusque gentilium deſerit. Hoc ſenſu ferri ea facile poſſunt, quæ adverſus divinationem aſtrologicam a nonnullis acerbiſſime diſputantur, ut a D. JAC. ANDREÆ *in Dedekenno c. l. p. 453. ſqq.* Latiſſime & diſerte ſatis contra ejus uſum ſcripſit JOH. CALVINUS *admonitione adverſus aſtrologiam, quam judiciariam vocant*, quæ in ejus *Tractibus Theologicis omnibus P. II. Claſſe IV. p. m. 500. ſqq.* legitur, dignaque viſa eſt, ut *Dedekenno c. l. p. 457.* integra inſereretur. Plurimos decepit opinio, ac ſi, aſtrologia judiciaria conceſſa, omnia inevitabili nexu in vita humana fieri debeant: id quod tamen neque ex ejus natura, neque ex divinatione in univerſum, colligi cum ratione poteſt, v. PUFENDORF. *J. N. & G. L. II. C. IV. §. 1. cum annot. Barbyracii.* Verum quicquid horum ſit, hæc omnia tamen non efficiunt, ut legibus & pœnis civilibus aſtrologia omnis ſit prohibenda, id quod nobis hoc loco ſufficit

Comparatio divinationis cum Chriſtianiſmo.

§. XV.

De prophetiæ permisſione. Primam ſpeciem divinationis divinam ſtatuimus, ſive prophetiam, quam, utpote omnibus rebus humanis ſuperiorem, civili prohibitioni non ſubeſſe ultro patet. Pertinet hæc ad fata eccleſiæ, membrorum & hoſtium ejus, ac providentiam Dei ſpecialem manifeſtat, in ſolatium piorum & confuſionem malorum: ſed illudi etiam artibus pravis orbi chriſtiano poteſt. Hinc probationem harum divinationum requirit etiam jus naturæ civitatis, ne felicitatis reipublicæ ſecuritas deceptoribus labefactetur. De eo, quod circa fata Eccleſiæ, & membrorum & hoſtium ejus, adhuc noſtra ætate dari prophetia poſſit, de quo jam *An. cIↃ IↃc XV.* FRANCISCUS PICUS, Comes Mirandulanus, *in defenſione Hieronymi Savanarolæ* ſcripſit, deque Sevenenſium motu divinatorio, quem per univerſum fere Chriſtianum orbem circumtulere, noſtrum non eſt diſputare. Unico utamur exemplo, ex *Auguſtanæ Confeſſionis Artic. XIII.* de votis monaſticis ſub initium, quod confeſſores noſtri pii & honeſtiſſimi de Franciſcano quodam, in oppido Thuringiæ Iſenaco, Johanne Hilten, graviter retulerunt: multa eum prædixiſſe, quæ partim tunc jam evenerant, partim impendere adhuc videbantur, imo morti proximum Gvardiano, ad ſe vocato, indicaſſe, venturum aliquem anno Domini M D XVI. qui monachos ſit deſtructurus, & cui non poſſint reſiſtere, imo hoc ipſum in commentariis ſuis inter annotationes in certos Danielis locos ſcriptum reliquiſſe.

§. XVI.

Divinatio dæmoniaca prohibita. Divinæ prophetiæ vel maxime dæmoniaca & diabolica divinatio oppoſita eſt, quæ omnium conſenſu fundamen-

damentum felicitatis humanæ, etiam externæ, & ſecuritatem ejus inter omnes cives, labefactat & evertit. In hanc diriguntur plurimæ Codicis leges Tituli ſupra allegati §. VIII. & huic inprimis juſtiſſima Saxoniæ conſtitutio obviam ivit. Omnes divinationes, quæ aliquid cultus idololatrici habent, huc referuntur, in quas lex tota Moſaica, §. II. relata explicatave, dirigitur. Ad has proxime accedunt illæ, quæ ſub noctem nativitatis dominicæ a plebe interdum tentantur, vaticinia, deſcripta ſimul in Chreſſuldri larvis natalitiis. An hæc aut illa divinatio diabolica ſit, vel etiem mere ſuperſtitioſa, difficile judicatu interdum eſt; ita ut a ſolis naturæ intimioris peritis intelligatur. Huc pertinent verba PAULI MATTHIÆ WEHNERI, JCti, *in Metamorphoſi rerum publicarum. p. 27. Darum auch einen, der hierin Richter ſeyn will, ob etwas natürlich oder aberglæubiſch geſchehen, gebühren will, daß er in Aſtronomicis und Phyſicis wohl fundirt ſey, und zu unterſcheiden wiſſe, die natürlichen operationes von denen ſuperſtitionibus, ſintemahl ihrer viel aus Unwiſſenheit offt ein Ding vor aberglæubiſch verwerffen, daß doch vor ſich ſelbſt nicht aberglæubiſch, ſondern ſeine Urſachen und beſtændigen Grund in der Natur hat. Alsdenn heißt es* ars non habet inimicum, niſi ignorantem. Interim in civitate tutius eſt, ſpeciem ſuſpectam pariter prohibere, ne malæ ac dæmoniacæ in eam irruant, modo pœnarum ratione moderamen adhibeatur. Patet hoc ex ſaluberriims Saxoniæ legibus, quæ divinatorem dæmoniacum capite plectunt, uti omnes, qui cum Diabolo quicquam commercii habent. v. Illuſtris CARPZOV. *Jurisprud. Forenſ. Romano-Saxonica P. IV. Conſt. II. def. VII. p. 1293.* alias vero ſuſpectas & ſuperſtitioſas ſpe-

cies, quorſum etiam genethliaci vagantes (*die Planeten-Leſer*,) referuntur, cum ſortiariis arbitraria pœna notant. Conf. CARPZ. *c. l. Def. VIII.*

§. XVII.

Divinatio rerum Phyſicarum permiſſa.

Divinationes naturales, per ſe indifferentes, vel circa res mere phyſicas verſantur, vel circa res morales, actiones aut eventus moderamini humano ſubjectos. Illæ non tantum licitæ ſunt, ſed interdum quoque amplitudini atqu ſecuritati felicitatis civilis adhibentur: ſunt enim, ſi veræ ſunt, ſympathiæ aut antipathiæ naturales. Virgulam mercurialem ſ. divinatoriam homicidam per multa milliaria feliciter detexiſte diu jam recenſuit VALLEMONTIUS *in Phyſica occulta, ſ. Traitè de la bagvette divinatoire C. II. p. m. 33. ſeqq.* metallicis aut aqueis venis, nec non metallo cuicunque defoſſo, detegendis eadem noſtris perpetuo, nec ſine omni ſucceſſu, inſervit; ad limites agrorum, lapidesque terminales, quibus ſignantur, deprehendendos, publico etiam permiſſu adhibetur. Sic inveſtigationem terminorum per virgulam divinatoriam ad inſtantiam actoris An. cIↃ IↃc LIII. permiſſit potentiſſimus *Rex Poloniarum & Elector Saxoniæ*, neque reus quicquam effecit, cum hanc inquiſitionem illicitam & ſuperſtitioſam reddere conaretur. *vid.* RIVINI *Enunciata Juris ad Tit. XXVIII. n. VIII. p. 1083. ſeqq.* Aſt de divinationibus naturalibus circa ipſas actiones humanas morales, aut quovis modo moderamini hominum relictas, cautius pronunciandum erit. Equidem & has ad uſum fori a nonnullis translatas fuiſſe legimus; uti ZACHIAS *Quæſtion. Med. legalium Cap. II. Tit. I. Quæſt. V. n. 49. 50.* de quibusdam legum peritis refert, quod *ubi plures torquendi ſint, in paritate indiciorum, ad eliciendam veritatem, ab eo torturam ſeu quæ-*

quæſtionem inceptam voluerint, qui pejorem habet effigiem ſc. phyſiognomicam. Aſt cum hæc ſigna fallere, moresque hominum emendari, aut corrumpi, hominum ſtudio poſſint; aliorum juxta nos hominum ſecuritatem in civitate periculis ſubjici, ultro patet. Ex omnibus, quæ adduximus, conficitur, divinationem naturalem de rebus mere phyſicis, ſive præteritis ſive futuris, ſuſceptam, fini civitatis ſæpe, ſed de rebus moralibus conceptam, non æque inſervire poſſe.

§. XVIII.

De Divinatione rerum moralium prohibita.

Divinatio naturalis de rebus phyſicis & moralibus transferri etiam ad exploranda aliorum fata & actiones poteſt, ut arcana eorum, vel præterita vel futura, nobis manifeſtentur. Quod ſi de his divinatores vellent reſpondere, non tantum vita civilis rumoribus & ſuſpicionibus impleretur, ſed & cujuscunque ſecuritas, fama & honeſtas, in diſcrimen a quocunque adduceretur. Adire igitur ad aliorum arcana exploranda divinatores, & de his ipſis reſpondere, jure meritoque in civitate prohibetur. *conf.* §. *VIII.* Neque ex ſignis divinatoriis quibuscunque, niſi accedant alia firmiora rerum indicia, colligi delicta hominum, delictorumque autores, poſſunt, aut ex iis inquiſitio jure inſtitui; cum vel incerta ſint, vel deceptoria, vel denique tot implicata difficultatibus, quibus ſatisfacere nemo hactenus potuerit, vel ſagaciſſimorum. Ob easdem rationes neque ſupplementi loco, ſi alia adſint, ſed inſufficientia, indicia, valere quid mihi quidem videntur; quorſum etiam referre licebit cruentationes corporum interfectorum admotis perſonis, in criminis ſuſpicionem adductis. *vid.* JUST. GEORG. SCHOTTELIUS *Tractatu de antiquis quibusdam in Germania Juribus*

C. III. de Jure Cruentationis ſ. *Baar-Recht.* Qui privata autoritate de alterius, quæ ſuſpicatur, criminibus divinatorem conſuluit, jure conveniri poteſt injuriarum, licet divinator, ſi dolus abſit, peti nequeat. *vid.* ANT. PEREZII *Prælect. in Codic. L. IX. Tit. XVIII. n. 9.*

§. XIX.

Divinatio in principem & rempubl. prohibita.

Adhibentur divinationes non tantum civium perſonis, ſed ipſis quoque principibus, majeſtate civili inſtructis. Quod ſi vitæ principum, actiones & fata, divinando uniuscujusvis ſuſpicionibus, explorationibus, atque tentationibus exponuntur: princeps & imperium minus tutum erit, iisve, qui inde turbarum occaſiones arripere conſueverunt, totum pateſcet. Quapropter omnes de principe, ejusque familia, divinationes jure civitatis interdictæ erunt. *conf. §. VIII. Lege VII. it. VIII.* Equidem præſagia illa poëtica, ingenii concitatioris effata, ex affectu nata, eventui interdum reſpondentia, ut illud Bodekeri in Fridericum primum Regem Boruſſiæ, Regiomonte Borufſorum nato:

Naſcitur in Regis Fridericus monte; Quid illud?
Prædicunt muſæ: Rex Fridericus erit.

Cum divinationibus naturalibus aut artificialibus nil commune habent. Divinationes vero, quæ eventum ſortitæ ſunt, ut de Philippo II. Galliarum Rege, & Ferrando, Comite Flandriæ, illo in prælio interram dejecto, hoc in triumphum ducto. *vid.* MEZERAY ABREGE *de l'hiſtoire de France T. II. p. 337. ſeqq.* de Ottone, Bavariæ duce, cui mors ſubitanea a ruſtico prædicta creditur, circa an. MCCLIII. *vid.* FREHERI *Script. Rer. Germ. T. I. p. m. 539.* de Richardo, Angliæ Rege, cui per Merlini Prophetiam mors per telum Limogiæ prædicta erat. *ib. p. m. 365.* & aliæ, magno numero plures

plures, tot ſuperſtitionibus, aut incertitudini tantæ, involutæ ſunt, ut, ſi arte capiuntur, tuto poſſint, imo debeant, prohiberi. Non male LARREUS *Hiſtoire d'Angleterre &c. P. I. p. 371.* de Henrici II. uxore: Ce fut alors, que la Reine Eleonor crut, qu'elle rempliroit la prophetie du fameux Merlin, qui l'avoit, diton, repreſenteée comme une Aigle, etendant ſes ailes ſur les deux Royaumes d'Angleterre & de France. Mais je ne ſai, s'il n'en eſt point de ces propheties de Merlin parmi les Anglois, comme de celles de Noſtradamus parmi les Erançois, qu'on ne fait parler qu' apres coup, & dans les enigmes; des qu'elles on trouve ce, qu'on veut, qui y ſoit &c. Refero huc omnes, in integras respublicas & civitates captas divinationes, quæ pari jure prohibitæ erant. Quod ſi ſine omni arte ſponte obveniunt, ut per inſomnia, uti vaſtationem Magdeburgicam per TILLYUM, PETRUS LOTTICHIUS, Heidelbergenſis Profeſſor, pluribus LXX. annis viſione prævidiſſe, & JOHANNI CAMERARIO, Lipſienſi Profeſſori, perſcripſiſſe, fertur; principi a bono cive aperiri debent, non æque omnibus promiſcue hominibus, ne turbas dent in civitate. Quinimo illæ, quæ juſſu principum, de his aut regnis quibuscunque, arte eliciuntur, ut illud ANTONII TORQUATI Ferrarienſis, Aſtrologi ſua ætate clariſſimi, *Prognoſticum, Matthiæ, Ungariæ Regi. An. MCCCCLXXX. transmiſſum & Frehero T. II. p. 387. ſeq.* inſertum, ad ſolos ſummos principes pertinent, ita ut divulgatio earum, niſi tempus, de quo pronunciant, præterfluxerit, jure prohibeatur.

§. XX.

Demum artes divinandi vel privatis tantum artificum uſibus *Vitæ genus divinatorium prohibitum.*

uſibus inſerviunt, vel in vitæ genera divinatoria publice abeunt. Prius hactenus jam, ſi nil ſubſit dæmoniaci, ſub certis limitibus in civitate licitum declaravimus; ſed poſterius merito univerſum prohiberi jam aſſerimus. Præter deceptiones enim, ſuperſtitionem ac vanitatem, hoc publico divinationum exercitio omnium civium vita ac fama inquiſitioni ac lubidini omnium ſubjicitur *conf. §. VII. & VIII.* Quinimo, cum ars tam incerta, tam periculoſa, in publicum lucri inſtrumentum mutetur; ſupra modum coli, commendari, ac augeri a ſuis debebit, quo ipſo ſenſim tota civitas a lubidine divinatorum ſuſpenditur. Hinc eſt, quod divinatores illi, & genethliaci vagantes, arbitraria pœna coerceantur. *v. §. XVI.* doctrina tamen chiromantica, cum ſimilibus artibus, vel in ipſis Academiis, permiſſa ſit. Concludimus cum *Paulo Sententiarum L. V. Tit. XXI. §. ult. aſtrologia*, (& omni arte divinandi) *ut abſtineatur!*